

www.e-rara.ch

Explanatio Vetervm Sanctorum Patrum

Oecumenius

Venetiis, M D LVI

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-137749>

De pontificium invidia ob miraculum, & Petri & Ioannis comprehensione: tum eorundem dimissione facta ... Cap. IIII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

vos esse alienatos : vos estis filij prophetarum, quare vobis hæc dixerunt, & facta hæc propter vos sunt. sed vos quidem filij estis prophetarum, hic filius Dei est substantię patris particeps: qui et illos sui participes reddidit. Vos estis filij prophetarum et testamenti, id est hæredes. nam si filij sunt, hæredes quoque sunt. hæredes autem non recenter ascripti, sed iamdiu, utpote filij. Atque ut ostendat quantum ad adoptionem attinet, si modo etiã ipsi voluerint, hæredes ipsos quoque perinde ac filios esse: vobis, inquit, tanq̃ filijs filium suum Deus misit: misit quidem etiam alijs, sed vobis primum: neque id tantummodo, sed etiam primum. i. præcipue illis qui cruci ipsum fixerunt & interfecerunt. sed quando? non nunc solum, sed & ante crucem, tantumque facinus, et post resurrectionem. vnde inquit, vobis primũ cum suscitavit filium suum. ut quid faceret? ut benediceret, & saluos faceret vos, si modo etiam vos a vitijs & improbitatibus vestris velitis auertere uos, ac recedere.

De pontificum inuidia ob miraculum, & Petri & Ioannis comprehensione: tum eorundem dimissione facta
 comminatione ne amplius Christum prædicent: de oratione ab ecclesia eam ob rem facta & gratiarum actione ad Deum. Cap. IIII.

CV M uero ipsi loqr̃etur ad populũ, supuenerũt ipsis sacerdotes, & dux tẽpli, et Sadducæi dolẽtes q̃ docerent populum, & in Iesu resurrectionẽ ex mortuis annuntiarent: manusq; in ipsos iniecerũt, posueruntq; in custodiam in crastinum: erat enim iam

uespera . multi uero qui sermonem audiuerant , cre-
diderunt .

Vide quo modo res dispētantur . primum om-
nes simul irridebantur : deinde vbi in concioni-
bus claruerunt , & miraculum postea magnum
ediderunt , tunc iam vbi fiduciam conceperant ,
Deo ita permittente , in pericula incidunt , certa-
minaque experiuntur . Sed hac in re Iudæorum
impudentiæ incrementum considera . nam cum
in Christo aliquem qui eum ipsis traderet , quæ-
siuissent , nunc post crucis scelus audaciores effe-
cti manus ipsi inijciunt : secumque ducem militū
habent , vt rursus facta hæc publico alicui crimi-
ni ascribant , non quasi priuatum aliquid vindi-
cēt . id quod vbiq; facere studēt . In conspectu autē
multitudinis apostolos vinciūt , vt videntibus ēt
terrorē incuterēt . Sed res e contrario cessit . multi
enim qui sermonem audiuerant , crediderunt . vi-
des diuinam operationem : nam cum eos etiā q̄
antea crediderant , consternari , ac timidiore red-
di verisimile esset : Petri tamē concio spiritu san-
cto composita animam audientium ita percule-
rat , vt etiam alij denuo ad fidem intrepide con-
uerterentur . Separatim autem ipsos examinant ,
ne ex libera eorum loquutione , & fiducia audien-
tes lucrarentur .

Euasitq; numerus uirorum circiter quinq; milia.
Factum est autem , ut in crastinum principes ipsorum
congregarentur , & seniores , & scribæ in Hierusalē ,
& Anna pontifex , & Caiphas , & Ioannes , & Ale

Principes
seniores
scribæ
Anna pontifex
Caiphas
Ioannes
Ale

xander, & quicumq; e pontificali genere erant.

Quinque milia hic ex apostolorum prædicatione & miraculis credunt. propterea enim in quinque milium esurientiũ multitudine eis prædixerat Christus, date illis vos vt comedant: quasi diceret, quinque virorum milia etiam uos post hæc fide saturabitis.

Constitutosq; eos in medio interrogabãt, in qua potentia uos, aut in quo nomine hoc fecistis.

Nouerant quidẽ, nam dolentes q; in Iesu resurrectionem annunciarent, ipsos comprehenderãt: sed interrogant, eo q; ipsos iudicio & multitudine terrefactos negaturos esse sperabãt: atque ita se omnia hoc modo posse corrigere opinabãtur. Vide enim q; versute interrogent. volebant siquidẽ vt apostoli suum potius id opus, q; Christi potentiaẽ esse confiterentur. neque præterea claudi curationem nominant. neque enim quid sit id, exprimunt, sed, hoc fecistis, dicunt.

Tunc Petrus spiritu sancto repletus ad eos dixit. principes populi, & seniores Israel, si nos hodie diu dicamur de beneficio hominis infirmi, in quo iste saluus factus sit: notum sit omnibus uobis, totiq; populo Israel, in nomine Iesu Nazareni, quem uos crucifixis, quem Deus ex mortuis excitauit, in eo hunc corã uobis sanum astare. Hic est lapis a uobis ædificãtib; nihili factus, qui in caput anguli euasit, neque est in alio quopiam salus. neq; enim nomen aliud est qd datũ inter homines sit, in quo saluos nos esse oporteat.

Principes

Pfal. 117. d
Mat. 21. d
Mar. 12. a
Luc. 20. c
Esa. 28. d
1. Pet. 2. a
Rom. 9. g

Principes populi ex dignitate plebæ turbæ: seniores Israel ex doctrina & intelligentia, qua a terrenis ad diuina populus attollebatur. in duo enim hæc auditorum cœtum diuisit: eo q̄ alij intelligere ea quæ dicebantur, ex æquo nō possent, sed leuiter & superficie tenus ea perciperent: alij exactius & profundius in animum ea quæ enuntiarentur, admitterent. Quoniam igitur, inquit, quasi ordini cui præfecti estis, prouisuri, nos hodie in quæstionem & disquisitionem ob beneficium homini infirmo & debili collatum inducere uoluistis, & non ex ipsa re admiramini, neque uenerationem illi exhibetis, cuius nomine bonū hoc effectum est: adeo peccatum in uobis abundat: quid post hac faciendum est? non ne quasi profundo torpore sopitos excitare uos debemus, uobisq̄ & populo aperte manifestare, hunc in nomine eo saluum esse factum? &c. Nomen autē pro existimatione & gloria sumit, non secus ac Psalmista: cum inquit: quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. quæ sanè existimatio, inquit, adeo apud uos uiluit, tantoq̄ cōtempui habita est: ut non modo uenerabilem eam non iudicaueritis, uerum etiam ipsum cui hoc nomen est, fontium ac maleficorum morti tradideritis. Nazarenum uocat a loco ex quo natum esse ipsum opinio erat, humiliora etiam hic de Christo commemorans: ut planum faciat, nullā humanam uilitatem ueræ gloriæ detrimentum afferre: si modo perspicax sit, qui rem ipsam intuetur. Vnde etiam in eorum ignominiam apud quos est sermo, ubi inquit (quem crucifixistis)

D

Ioan. 11. f

statim subiungit (quem ex mortuis excitauit)
 quis excitauit? Deus. nam quia inuidētes vos sta-
 tueratis turpissima maleficorum morte gloriam
 miraculorum eius inutilem reddere, atq; obrue-
 re: dicebatis enim, quid facimus, quia homo iste
 multa signa facit? cruci vestræ resurrectionem
 obiecit. quis? Deus, qui ipsum suscitauit. Patri
 vero resurrectionem attribuit, tum quia omne
 diuinum opus, exceptis ijs quæ personales ineffa-
 bilis trinitatis notas præ se ferunt, commune est:
 tum vt hinc etiam Deo ipsos aduersari ostēdat.
 propria enim potestate id Christum fecisse ita
 aperte dici non cōmode poterat, præsertim apud
 homines qui ad sua ipsorum facta commendanda
 erant incitati, ita vt etiam Dei iustitiæ subie-

Rom. 10. a

cti non fuerint. In hoc igitur nomine inquit Pe-
 trus, hic sanus astat. quem dum ait astat, erectū
 quoque fuisse eum significat. cum vero subdit,
 (hic est lapis) nō ad claudum, sed ad Iesum Chri-
 stum refert: cuius nomine claudus corroboratus
 est. qui quidem lapis a vobis quidem qui ad ēdi-
 ficationem constituti estis, nihili sit & contemni-
 tur: in caput tamē anguli domus ipsius fidei eua-
 sit, vtrosq; parietes, id est populum ex Iudæis,
 & ex gentibus in vnus fidei consensum copulās
 ac cōnectens. Vide vero, cum inquit (neq; in alio
 quopiam est salus) psalmicum illud dictum ex-
 plicat (a Domino facta est hæc) connexio scilicet
 & coniunctio salutaris, quam vnusquisque non
 ex alio q̄ ex solo angulari lapide consequitur.
 Neq; enim nomen aliud est, hoc est gloria vene-
 rabilis, nisi sola hæc in Christum angularem la-

Psal. 117. d

pidem fides, quæ omnes alias superexcellit: quip-
 pe cum ex ipsa sola salus data hominibus sit.
 ALITER. Cum nondum a prioribus tenta-
 tionibus respirassent apostoli, in alias ex dispen-
 satione inciderunt. Primum enim omnes quasi
 ebrj essent, irridebantur, eo q̄ linguis quarum
 erant ignari, loquebatur: deinde in pericula inci-
 dunt. sed neq̄ id tamen statim deinceps, sed vbi
 prius in concionibus claruerant, & quasi ad fi-
 duciam exercitati ex claudi miraculo fuerant:
 Deo maxime ita permittente postea certamina
 experiuntur. Vide autem Iudæorum malignita-
 tem. in Christo aliquem qui eum traderet, quasi
 uerūt, hic ipsi audaciores post crucem effecti ma-
 nus inñciunt. vnde etiam duce templi qui custo-
 diæ templi fuerat præfectus, ad hoc vtuntur, vt
 in publicum crimen, non in priuatū rem ipsam,
 vt mos ipsis est, referant. Non statim autem in-
 uecti contra apostolos sunt, quæstionesq̄ in eos
 exercuerunt Iudæi, eo q̄ vespera iam occupat.
 atq̄ ipsi quidem versute dilatione illa uteban-
 tur, cum sperarent se in terrorem apostolos custo-
 dia esse inducturos, atq̄ ita mitiores reddituros.
 sed apostolis dilatio ex dispensatione in bonum
 cessit, vt alacriores ad resistendum efficerentur.
 Quin et dum in cōspectu multitudinis vinciūt,
 & clam interrogant, summam fraudem præ se
 ferunt: quo videlicet & in conspectu multitudi-
 nis eos qui vinciendi essent, terrerent, & in iudi-
 cio quasi delinquentes examinarent. atq̄ id sepa-
 ratim, ne cum fiducia illis respondētibus, qui au-
 dirent, ob miraculum conuerterentur. In quali

autem potentia id fecerint, interrogant, cum tamen sciant: quo modo enim ignorabant, qui eo q̄ Christi resurrectionem annuntiabant, eos cōprehenderant? id tamen faciunt existimantes timore iudicij eos esse negaturos, omniaq; sibi, si ita interrogarent, esse successura. dicūtque (in quali potentia hoc fecistis?) quasi id non Christi, sed sua potestate effecerint: neq; nominatim claudi mentionem faciunt: ea enim re adeo cruciabantur, vt ne nominare quidem sanationem vellent. Atque iccirco Petrus respondet (in nomine Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit, &c.) cum vili patria passionis quoque & resurrectionis commemoratione facta. humilia enim ob excellentiam resurrectionis gloriantes prædicamus. Vbi his verbis ipsos corripuit, testimonia etiam ex scriptura subiungit, de lapide videlicet angulari, quæ superius a nobis declarata iam sunt. Aduerte tamen quando docendum est, eos prophetias etiam adducere, sicut in prima concione: quando uero tantummodo cum fiducia loquendum est, asserunt. nam, neque nomen inquit aliud est qd̄ datum inter homines sit &c. de quo iam diximus. Non deducunt autem ad Pilatum apostolos, quemadmodum Christum antea, quia erubescabant, & uerebantur, ne ex his, illa quoque quæ contra illum fecerant, redarguerentur.

Spectantes autem illi Petri fiduciam & Ioannis, & cum homines esse ipsos illiteratos & imperitos comperissent, admirabantur, agnoscebantq; ipsos q̄ cū

Iesu fuissent: cum uiderentq; hominem cum ipsis stan-
 tem qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.
 Cum iussissent autem foras e concilio ipsos secedere,
 conferebant inter se dicentes. quid faciemus homini-
 bus his? signum enim notum omnibus habitantibus
 Hierusalem per ipsos effectum esse, perspicuum est.
 neq; negare id possumus. sed ne latius diffundatur in
 populum, comminemur ipsis, ne amplius in nomine
 hoc cuipiam loquantur. aduocatisq; ipsis preceperunt,
 ne omnino in nomine Iesu loquerentur, aut docerent.
 At Petrus & Ioannes, respondentes ad ipsos dixerunt.
 An iustum sit coram Deo uos audire potius, q̄ Deum,
 iudicate. quæ enim uidimus & audiuimus non loqui
 nō possumus. Illi uero insuper minati eos absoluerunt,
 cum non inuenirent quo modo ipsos punirent ob popu-
 lum. quia omnes ob id qđ factum fuerat, Deum glori-
 ficabant. annorum enim erat amplius q̄ quadraginta
 homo, in quo factum sanitatis id signum fuerat. Abso-
 luti igitur illi ad suos deuenerunt. quæq; ipsis pontifi-
 ces & seniores dixerant, annunciarunt.

Non ambitionis & glorię causa hæc enarrat,
 sed ut gratiæ Christi argumenta manifestent.

Quod cum audiuissent illi unanimiter uocem ad
 Deum sustulerunt, & dixerunt. Domine tu es Deus
 qui fecisti cœlum & terram, & mare, & omnia quæ
 in eis sunt: qui per os David pueri tui dixisti.

Vide q̄b̄ exquisite, atque opportune horum

preces efficiantur. quādo enim rogabant, ut qui dignus apostolatu esset, demonstraretur, ita precantur: Tu Domine, quā est, κύριε, id est princeps atque auctor, cordis cognitor omnium: precognitione enim ibi erat opus. quando uero hic aduersariorum ora obstruenda erant, clamant: Domine id est θεωτα, quasi dicas here: & quasi ab ipso pacta requirentes prophetiam in medium adducunt: simul, ut sibi quoque consolationem afferant, quod frustra etiam contra se & inaniter hostes meditentur.

Psal. 2. a

Vt quid fremuerunt gētes & populi meditati sunt inania? astiterunt reges terræ, & principes congregati sunt simul contra Dominum & contra Christum eius. congregati enim re uera sunt contra sanctū puerum tuum Iesum quem unxisti, & Herodes & Pontius Pilatus.

Quanam gentes fremuerunt cōtra Christū? Iudæorum uidelicet. quibus enim Iudæi essent omnes, ex diuersis tamen erant gentibus, in quibus erant dispersi.

Cum gentibus & populis Israel.

In Hierusalem Hebræi cum Caipha et Anna: populi cum Pilato.

Vt facerent quæcūq; manus tua, & consilium tuū fieri prædestinarat.

Hoc est nō ipsi potuerunt: sed tu es qui omne id permisisti, & ad finem perduxisti, qui potens

& sapiens es. conuenerunt enim illi ut inimici et hostes animo cędem inhiantes, ea tamen fecerunt, quę tu uoluisti. ALITER. Idem significat manus et consilium. cui enim potentia adest, consilio opus non est. quęcũque igitur a principio statuisti, ea facta sunt. ALITER. Manus hic omnia cum ratione & opportune a Deo administrari significat: p̄pterea q̄ sola quoque natura composita rationalis, quę non alia q̄ homo est, manu plerumque uti ad maxime necessaria exequenda consueuit.

Et nunc Domine respice ad minas ipsorum, & da seruis tuis ut cum omni fiducia uerbum tuum loquantur, dum manum tuam ad sanationem extendis, & signa & prodigia per nomen sancti pueri tui Iesu efficiuntur.

Animaduerte orantium mansuetudinem. non enim precatur Deum, ut perdat ipsos ac deiciat, sed ut ad minas eorum respiciat: detque seruis suis ut cum omni fiducia loqui uerbum eius possint, dum extendit manum, id est dum inuicta sua potentia eos protegit. hic enim inexpugnabilem potentiam manus significat: quemadmodum quoque ibi. (Manus tua gentes in perniciem induxit.) Oratio autē hęc ab apostolis fit, non ut molestias deprecentur, sed pro Euangelici præconiij prospero successu. non enim dixerunt, libera seruos tuos; sed da seruis tuis, ut cum fiducia loquantur.

Psal. 43. a

Cumq; hi precati essent, agitatus locus est in quo erant congregati: repletiq; omnes spiritu sancto sunt. & uerbum Dei cum fiducia loquebantur. Multitudinis autem eorum qui crediderant, erat cor & anima una. nemoq; erat qui aliquid eorum quæ possidebat, proprium esse diceret: sed erant ipsis omnia communia.

Signum q̄ exaudita eorum preces essent, terræ motus est: tametsi quandoque etiam iræ indicium est. Quod autē spiritu sancto repleti sunt, id ostendit, totos ipsos diuini spiritus qui datus ipsis fuerat, fuisse effectos, a carnalibus his ferè penitus abstractos: uel quia refocillati sint, reacensaque in ipsis gratia fuerit. Vnde etiam neglectis corporis periculis cum fiducia & libere loquebantur. ex quo cor & anima ipsis unum efficiebatur, & ex intellectualibus uidelicet motionibus, & ex uitalibus. Intellectuales enim motus nunc cor significat: quippe qd' primum in animalis constitutione subsistat. hoc siquidem inuenit, cor & animam. i. intellectum & animam seu uitam in his ad unum & eundem bonum ac Deo gratum finem simul tēdere ac ferri. intellectualis enim indicium est, cum pericula negliguntur: uitalis, cum circa corporis necessaria adeo exacta diligētia seruetur, ut paucis quibusdam, quæ ad uitam traducendam satis sint, possessori exhibitis, cetera omnia indigentibus suppeditentur. amor enim hic mutuus ex magistri quoque sponsiōe ipsis inerat: ex eo q̄ dixerat (in hoc co-

gnoscent omnes vos meos esse discipulos, si charitatem inter vos habueritis.) iccirco fiebat, ut vnusquisque proximum tanq̄ seipsum esse existimans, nihil ex ijs quæ haberet, sibi priuatim reseruaret, sed in communem vsum omnia exponeret. De motu autem & quassatione loci illud quoq̄ intelligi potest, q̄ terræ motus ille contigerit, ut sicut infideles & minantes terrefaceret, ita animaret & in aiacritatem apostolos induceret: quippe cū in principio necessaria quoq̄ huiusmodi signa ad confirmandos eos essent.

Et magna potestate apostoli resurrectionis Domini Iesu testimonium reddebant. gratiaq; magna erat apud omnes ipsos: quippe cum neq; indigus quispiam inter ipsos esset.

Cū inquit (reddebāt) quasi recepisse ipsos aliquid ostendit: & quasi de debito loquitur. ex signis enim & prodigijs diuinam virtutem ac potentiam esse eum qui resurrexerat ex mortuis, manifestabāt. ex mutuo vero amore magna gratia inter ipsos existebat. cum enim aliquid proprij sibi vendicaret nemo, efficiebatur, ut nullus inter ipsos indigeret: id q̄ ad eius imitationem proculdubio factum videtur, de quo dictum est. (aperis tu manum tuam, & replebis omne animal benedictione.)

Psal. 144. d

Quicumq; enim possessores erant agrorum & domorum, uendentes afferebant precia eorum quæ uendebant, & ad pedes apostolorum statuebant. distribue

batur autem singulis, prout unicuique opus erat.

Quòd ad pedes apostolorum precia statuebant, & non ad manus, multum honorem, multamque reuerentiam eorum qui ea adducebant, significat. ob idque non in manus ea tradebant, ut dominos eos & dispensatores facere viderentur: utpote qui ex communibus cellis, & non ex priuatis per manus expenderent. Præterea hoc quod ad pedes hæc apponebantur, sicut venerationem ipsis afferebat, ita inopiam eorum qui alebatur, vituperio vindicabat: tanquam enim ex communi promptuario distribuebant.

Ioses uero cognominatus ab apostolis Barnabas, hoc est filius consolationis, leuita, Cyprius genere, cum haberet agrum eo uendito pecuniam attulit, & ad pedes apostolorum posuit.

Prius commemorat eum qui recte se gesserat, id est Iosen, ad maiorem Ananiæ redargutionem: quod cum tot essent qui ea facerent, & tanta signa, & tanta gratia inter eos, nullius exemplum fuerit sequutus. Iosæ autem Barnabas cognomen tum ab apostolis in virtutis misericordis testimoniū impositum fuit. is cum esset leuita, Cyprius genere erat: quia lex iam soluebatur, & ex Iudæa quocumque volebat quispiam, habitatum migrabat. Barnabas uero ex Iudæa lingua in latinam explicatum, filium consolationis, & misericordie significat. Estque hæc narratiōis de Ananiæ & Sapphiræ pernicioso facto quædam quasi præparatio. nam hic quoque cum ad imitationem Iosæ agrum

vendidisset, neq; postea sine sic vt principio cor
responderet, vsus fuisset, imprudenter sibi perni-
ciam attulit.

De Anania & Sapphira ob defraudationem precij agri a Pe-
tro morte multatis: de apostolis in carcerē coniectis, &
ab Angelo nocte educis ad prædicandum Iesum:
vbi rursus eos captos in concilio pontificum
Gamaliel exemplis adductis dimittendos
hortatur, & flagris cæsi dimittun-
tur. Cap. V.

VIR autē quidā nomine Ananias cū Sapphira
uxore sua possessionē uēdidi, et fraudauit de
precio conscia etiam uxore sua. & cum attulisset par-
tem quandam ad pedes apostolorum posuit.

Omnino enim Satánico furore plenus erat is
qui cum propria incitatione & nō ex necessitate
& vi Christum elegisset, statim vbi incepit, ser-
uidam hanc ad bonum motionem refrigerauit,
& rem totam perdidit. Tria autem hic simul si-
gna existunt: occultorum cognitio: in meditatio-
nem animi terroris incussio; & post hæc occisio
ex mandato.

Petrus uero dixit: Anania, cur impleuit Satanas
cor tuum, ut spiritum sanctum falleres, & de precio
agri defraudares? nonne manens tibi permanebat, &
uenditus in potestate tua erat? quidnam rem hanc in
cor tuum induxisti? non mentitus es hominibus, sed
Deo. At cū audiret hæc uerba Ananias cecidit, et exa-
nimatus est. & timor multus in omnes qui audiebāt,
est exortus. Surgentes autem Iuuenes composuerunt